

**Quaestio medica ... An feбри puerperarum miliari cum lochiorum suppressione et abdominis inflammatione balnea? / [Louis Jacques François Michel].**

**Contributors**

Michel, Louis Jacques François.

**Publication/Creation**

[Rouen] : [P. Seyer], [1767]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ev2tme7h>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

MICHEL

*Questio Medica Proposita.* —————

J

XXX

$\frac{e}{18}$

Rotomagus - Paris

36582/P J. K. K. e.

73.

Box 72-423



# QUESTIO MEDICA

## PROPOSITA

A CLARISSIMIS VIRIS D. D. CONSILIARIO  
ac Regis Medico, & Doctoribus Medicis Collegii Rothomagensis

### PRO AGGREGATIONE DISCUTIENDA.



*An Febri Puerperarum Miliari cum Lochiorum suppressione & abdominis inflammatione Balnea?*



#### I.



ULIERI, quæ totius orbis pretiosissimum opus est, id omne quod necessarium erat, tum ut amet, tum ut ametur, largitus est rerum potens arbiter; facta viro socia illius solatium evadit, pulchritudine lenit irâ percitum, districtos cohibet enses, dimicatuos continet exercitus, mellifluo sermone demulcet ingenium, innumeris leporibus fascinat oculos. Quid non movet? Quid non accendit? Quid non vincit? Tantis præfulgentem dotibus à morbis fore immunem totus desideraret orbis. Heu! lege semper deplorandâ omnibus morborum classibus obvia est. Hic ipse uterus, quo viro charior efflorescit, vel morborum procreat iliadem, vel à primariis morbis pessimum mutuatur statum. Triste illius rei exemplum præbet morbus præsens. Quot eo affectas rapuit atra mors? Quot viri conjugis amatæ etiam nunc horrent interitum? Quot orphani matris charissimæ lacrymantur obitum? Passim ululatus verberant aurem; Passim lacrymas eliciunt planctus: ubiquè mœror, ubiquè tristitia. Quasi mortalibus sua mala non sufficerent, nova deterioraque identidem ingruunt, longèque violentiores procellas excitant, quòd repentinus fit eorum insultus, quòd incautos aggrediuntur, quòd nondùm cognitis medela ignoratur. De genere hoc est Febri Miliaris quam anno circiter 1650 immundus lipsiæ campus peperisse creditur, unde per totam Europam grassata est, Hic frequentior, illic rarior;

verum ubique strages edidit. Singulis anni tempestatibus caput altum exhibet : inter glacies non rigescit : ad canis ardores non siccatur : in humido non extinguitur : paludes & fylvas , urbes & pagos depopulatur : divites & pauperes afficit : senio confectos ( quod tamen rarius fit ) Juvenili gaudentes ætate laceffit : nulli temperamento , nulli sexui parcit : in nullis vero tam frequens , quam in puerperis apparet.

Hæc Febris eadem semper est , sed varium pro vario temperamento , pro variis circumstantiis profert effectum , undè dissimilis esse videtur : hinc modo maligna , modo malignior declaratur.

(a) Sauvages ;  
classis morbor.

Malignam primo insultûs die (a) sine calore insolito sequente aggreditur horror : caput vix dolet : febris lenissima , pulsus duriusculus , urina sana , nulla sitis , appetitus bonus : sudor absque artuum dolore vigere incipit.

2a. Die pulsus celerior , urina aquosa , metus & tristitia : scrobiculi cordis anxietas excitat suspiria : sequuntur subitanei motus involuntarii : digiti sensu quodam pungitivo stuporeque laborant : intumescunt manus , pulsus magis contrahitur , sudores acidum corruptum olent , nausea ægrotantem afficit : Lochia partim vel integrè supprimuntur , quandoque ipsorum suppressioni præit Febris Miliaris , sæpius vero hæc pedisequa est. Mitiora dantur symptomata , si Lochiorum fluxus sit liber.

5a. vel 7a. vel 9a. Demùm die cutis tota sensu punctorio afficitur , horroribus & caloribus alternis exercetur corpus , sudorum augetur impetus , alba vel rubra apparet miliaris eruptio , quæ , ubi prodierit , cutim instar anserinæ corrugat : primò collum , deinde pectus , dorsum , brachia , manus occupat , semen milii , unde nomen habet , amplitudine æquat : intra triginta horas fere tota absolvitur , copiosa apparet : pathemata antea graviora mitigantur : pulsus mollior , remissior liberiorque undulat : Lochia cum largo materiæ fœtidæ fluxu restituuntur : urina copiosior , magis saturata mingitur : redit animi vigor : explicantur vesiculæ ichore fœtido plenæ , intra paucos dies arescunt , squamularum instar decidunt , & ægia ad pristinam redit sanitatem. Hæc est istiuscæ malignæ gradiendi methodus : si perverso casu turbaretur , malignioris dotes indueret , omine heu ! nimis infenso.

Ubi Malignior fuerit , criseos opportunæ non servat ordinem : modo tota furibunda venenum explicat : modo , quibusdam diebus ante aggressionem , alternatim dolet caput , afficiuntur artus doloribus Rhumatismum æmulantibus. In acie præcedit gravis horripilatio , sequuntur æstus , virium languor , dejectio : cum punctorius in dorso sensus percipitur : præcordia calent & stringuntur , magis ac magis pathemata augentur : Alta suspiria , inquietudo , vigiliæ miserrimam torquent ægrotantem. Si somnus appareat mali moris est : systema nervorum turbatur , octavum par imprimis afficit illius pravi veneni indoles , nausea sequitur : frigus horror & calor intra cutem , in volâ manuum imprimis sensibiles , se se offerunt : Puerpera quasi stupida fit , vel laborat deliriis eo fortioribus , quo acrior fuerit humorum crasis.

Si huic hysteria jungatur , tanta præcordiorum adaugetur anxietas , ut quædam tremulis manibus & colli agitatione , cum cynico oris spasmo , epilepticorum faciem referre videantur. Qui tunc morbi status !

Variam symptomatum syndromen describere perperosum esset ; modo enim minuitur transpiratio , cutis deurens abit , colatoria vasa magis ac magis stringuntur , genæ rubent , apex linguæ muricæus est , vapidus urinarum color apparet , frequenter sed parcè mingitur , lac è mammis reorbetur ac stillare cessat , Lochiorum fluxus plane supprimitur ; tumefit abdomen , inflammatur : oculi scintillant , cornea opaca rubore afficitur , &c. Modo effusius manant sudores , alvus cum torminibus fluit liberior vel stringitur , eruptio nullum servat

rithmum, vel primâ insultûs die, vel sequentibus prodit insufficiens, mali omnis, nunc apparet, nunc evanescit, modo alba (b) modo crassa cum sanguine soluto mixta, modo ichore subtilissimo acri referta, modo cristallina. Nullum aliud exanthema tam instabile crebro ac celeriter retrocedens, tumque iterum comparens. Si Puerperæ virtus ea fuerit ut sub tanto onere non prematur, sæpè reliquiæ non illicò debellantur; per continuos menses artus dolent, humor ad articulos depluit difficillimè sanandus, nisi urina turbida fluat copiosa. Si debilis verò militet virtus, extrema frigent, interiora æstuant, micat pulsus tenuis, inordinatus; minor non erit timor, si vires nimis erigantur, pulsus calcarifer, turbatus est; oculi duplâ imagine afficiuntur, turbatur mens, spectra videntur, tendines agitantur, pulmones subflaminantur, manet exanime Cadaver.

(b) M. Pinard;  
Dissertation sur  
la Fievre Mil.

## II.

**MILIARE** venenum turbinis ad instar volvi videtur, non ubiquè virus explicat, non omnes aggreditur puerperas. Adsit in locis amicus fomes, adsit in humoribus pabulum congruum, adsit in fibris pronitas ad erethismum. Aurum & argentum non eodem menstruo solvuntur. Quin immo si corporis vires illi sint heterogenei, ut sensitiva manum, sic illud fugit, vel, ut sublimati corrosivi vires Sale Tartari exolvuntur, sic illud concutitur, destruitur, evanescit. Non mirum igitur est has, istis sospitibus, affici, omnes non aquâ lance perfodi.

Ubi vero amicam elegerit sedem, Prothæum æmulatur, pro vario sole, pro variâ cujusque temperamenti indole, diversas formas induit: videtur quasi Leo rugiens, irâ, dum pugnat, accendi, famem ad obsoniorum copiam extendere, os ad eorum dulcedinem avidius aperire; tum vero delectatur iis in locis, ubi recusatur ventorum liber circuitus, ubi vapor cœnosus, putridus, sordidus nares excruciat; ubi aer humidior, cujus caliditatis continuo variatur habitus, cutem confectatur. Quam belle nutritur in his, quæ temperamento sanguineo-lymphatico donantur, quæ mœroribus indulgent, vitam otiosam ducunt, vigiliis impensioribus corpus atterunt, quibus consuetae supprimuntur evacuationes! Nec mirere illius ad puerperas affectum: naturæ gravidarum uteri si attendatur, continuum renascens pabulum huic veneno exhibebitur; distenduntur toto graviditatis tempore uteri vasa, sanguis per arterias in illius compagem magis ac magis truditur, sed ob illius distensionem & sanguinis nimium appulsum hujus reditui non sufficiunt venæ, hinc subsistente ibi diutius sanguine, lymphaticus humor (c) in sua vasa magnâ copiâ secedit, in quorum diverticulis quasi incarceratus hærens, longiori mora vapescit, corrumpitur & acorem contrahit. Ubi primum extruditur fœtus, concidit uterus, laxantur habenæ, lymphaticus humor acore donatus, quâ datâ portâ ruit; si pleni pateant Lochiorum aditus, cum ipsis foràs amandatur; ubi vero supprimuntur Lochia, cum sanâ lymphâ miscetur, circulationis leges subit, virûs Miliaris pabulum evadit, acore suo nervos irritat, anxietates exfuscat, donec per cutis tubulos prodeat. Quo rueret virus meliora obtenturum? Arridet locus, non desunt obsonia.

(c) Frid. Hof-  
man. de Feb.  
Mil.

Hujus naturam explicare conatus exsuperat humanos: novum morbi genus, Medicinæ priscos latuit scriptores. Illud nempè Pandora fovebat nostris orientum temporibus. Experienciâ docemur illius semen esse putridum particulare, vehiculum aerem, pabulum obsonia acre-glutinosa.

Subita virium prostratio, anxietates circa præcordia nulli cedentes vomitui, satis supèrque declarant systema nervorum turbari, illorum spiritus catenari, donec integrum illud venenum cutis tubulos subierit, hinc in nervis illius sedes certò arguitur. Sequamur ingredi occipientis passus. Primâ aggressiois die, veluti tenuis aura pororum myriadem irrumpens, sanguinis circulationem subit,

cum ipso miscetur, fit lymphæ comes, nervorum mæandros penetrat, ad ultimos hiatus perventum succi nervosi itui obest: hinc minor nervorum sensatio, hinc stupor membra ligat, hinc manus tumescunt; vi autem naturæ excitantur majores nervorum trunci, continuus fit totius systematis nervosi conatus, cor inde contractiones frequentiores habet; tum vero aura venenata venenum suum singulâ contractione explicat, calcar calcari succedit, donec tota solvatur. Durante illâ totius naturæ pugnâ, mirere sanguinis crasim: ille magis ac magis concutitur, ad intimos recessus pellitur, illius tenuior pars lymphæ uterinæ junctâ exprimitur, & sudoribus (nisi nervi cutim ambientes nimis constringantur) inundato toto corpore, unâ cum illis foras amandatur; crassior vero pars sub epidermide manet, novarumque appulsu pustulæ efformantur.

Sane quidem vehementiora exhibebuntur symptomata, quo uberius erit acrium in corpore hospitantium copia. En puerperarum status tanti periculi plenus: lymphâ acri plurimâ opplentur, Lochiorum suppressio numerum copiamque acrium adauget, inflammatio abdominis se dat comitem; non unus morbus, sed plures sunt debellandi: jungitur inflammationi inflammatio, humores magis ac magis exaltantur, præceps liquidum avolat, salium spicula longe acuta evolvuntur, repagula disrumpunt, à ferocientibus fibris susdeque quassantur, per invia loca factô agmine divagantur, erethismum generalem commovent, tono naturali orbantur fibræ, phantasma phantasmate pellitur, nullus optimus situs.

Anti-Lucretius  
in Prefatione.

*Quæ sivit strato requiem ingemuitque negatâ.*

III.

**M**IRANDAM uteri fabricam qui scrutari voluerit, Winslôwium anatomês principem, vel oculos scalpellumque in illius compagem transferat. Nullum viscus in Fœmina tam sublimi artificio compositum: primum hominis palatium, naturæ miraculum est: pro rectoribus insignes nervorum apparatus habet. Nervus utrinquè intercostalis se dat utero, huic se jungunt comites nervi à sacris & lumbaribus orti. Immensâ vasorum segete pullulat: gaudet duabus arteriis spermaticis totidemque iliâs, hypogastricæ hæmorrhoidalesque illum quoque rigant; vasorum propagines à viscerum late viciniâ mutuatur; quæque omnia hæc vasa ut augete utero extendi facile valeant, contorto modo serpentinoque gressu totam uteri perreptant substantiam; nec desideres liquoris fontes uberrimos: favet uteri situs, favet perpendicularis vasorum descensus, favent venarum alvei valvulis orbat. Mitto vim illam naturalem, qua quotocumque mense per vulvam Fœmina purgatur, mitto membranam internam instar Holoferici villosam qua catamenia exsulantur. Hinc non mirum est à conceptu uterum ampliari, vasa liquoribus turgere, tantam enixo fœtu suboriri cruoris copiam: at vero mirum quoque non est Lochia supprimi: Febris lactea partui succedens humores concitat & accendit; uteri vasa jam humoribus scatent: si qua proportione humores in uteri vasa detruduntur, eâdem proportione per patulam villosamque membranam non eliminantur, redundabunt, os illius tomenti arctabitur, fluenda retinebuntur, retenta spissescunt, minor atque minor fluxus & tandem supprimentur; ab illâ suppressione acrem, Febre perseverante, induent indolem, incendium grande parturient, nervis major erit irritatio, irritationem sequitur inflammatio.

Nec quidem abdominis inflammatio cuique partium membranacearum naturam propiùs indaganti mira videbitur. Totius corporis viventis membranæ mutuum inter se habent consortium, ad instar fidium sibi invicem respondent: si quam vim chorda musica in alterâ extremitate passâ fuerit, in alterâ vibrabit, per totam æqualiter longitudinem intendet aut remittet, chordas vicinas in consensum trahet, omnesque resonabunt, licet omnes immediate non verberentur:

uteri ergo constrictio abdominalis membranas constringet ; aliunde magnus intercostalis , si regit uterum , regit & alia abdominis viscera , hinc si porrectior fiat irritatio , humorum in parte constrictâ negabitur fluxus , superiorum sequetur affluxus , eoque subito augefcente orietur inflammatio , cum in viventibus omne violentius inflammationem habeat pedisequam : quid mirum ergo si abdomen inflammetur ?

Febris lactea non sola est lochiorum suppressionis causa , nec ipsa lochiorum suppressio abdominis inflammationis principium ; quid si frigori imprudenter se exponat puerpera ? quid si placenta adhærens utero manu barbara avellatur ? quid si lymphaticus humor acore donatus , si Miliare venenum comites se dederint ? acore illo ultimis nervorum hiatibus irretito , irritabitur nervosum genus , quæ fuerit debilior fibra vi impingenti cedit , rigidior magis ac magis rigescet , circulares ergo fibræ laxabuntur longitudinales decurtabuntur , in pejus omnia ruent , jam videre mihi videor bovem rabidum cornibus , dentibus pedibusque obvios lacerantem. *Si inflammationem* , inquit hypp. ( d ) *Senserit uterus contrahitur , quod si quid corruptum fuerit & recruduerit , Febris acuta & magna* horrorque detinet , partes circa pudenda duræ sunt , stupendum in modum afficitur , mordetur & impetu fertur , ac si quis immisso digito contrectet , rursus pejus habet & mordetur , caput & sinciput dolore afficitur , caligo & frontis sudor adest , extrema perfrigerantur & tremunt , interdum sopor occupat , audire non solet , malum est cibi fastidium , neque stomachus neque ventriculus omnino cibum attrahit , vociferatur , cum impetu fertur , dolor est ad pubem , inguina , lumbos & occulta muliebris pudendi loca , celeriter que moriuntur. Hic finis , hic meta laborum ; cum vero hanc finem , perversè tamen , quisque reformidet : videndum quo medicamine illi sit obviandum.

(d) Lib. secund.  
de Morb. Mul.  
Sect. v.

Vidimus ortum , vidimus progressum , vidimus statum : jam curationis methodus se offert obviam , veneni obtundere aculeos , pustularum maturationem fovere , suppressionis inflammationisque tollere causam , imprimis vero nervorum lenire spasnum : Num his efficiendis par est Balneum ?

#### IV.

**U**SUS Balnei antiquissimus est , ab ipso Mose ( e ) quandoque præscribitur. Apud Orientales magno fuit olim & nunc est pretio. Venustati lepores addebat , pudicitiam non lædebat ; formosa Balneo utebatur Bethsabe , pudicissima utebatur Susanna : nec illud antiquitatis Deabus contemptui fuit , Venus in Balneo pingitur. Romæ Senatores barba candidâ conspicui , juvenes nondum togati Balneo quoque usi sunt. Parisiis juliani perstant Balnea , & in ipsâ neustriâ quot Balneorum rudera reperire est ? ubique frequentabantur , valetudinis firmitas , morborum fuga prædicabantur ; nec tanta despicias laudum præconia , suus cuique debetur honos. nihil quidem in Medicinâ tantis dignum laudibus , sive corpus humanum spectes , sive Balneorum scruteris naturam.

(e) Deuteronom.  
me.

Sanitas corporis humani in eo præcipuè consistit ut suo officio fungatur quodlibet corporis colum , nullum vero transpirationis colo uberius est : tota corporis externa facies , plurima que interna illius est sedes. Quot & quanta per illud colum effluant vix credibile est : rem extra dubium posuere viri indefessæ experientiæ Sanctorius , Keil , Dodart & Kaau. Per cutis mæandros continuus fit halitus , per hos humorum turgescencia amandatur , major inquilinorum pars evacuatur. Cutim respice foraminulis scatet ubique : hanc indiscriminatim pererrant generis cujuslibet vasa ; ex ultimis fibrarum nervearum propaginibus constat , epidermide squammeâ staminibus sane elasticis pendula tegitur ; cave ne ea vasorum excretoriorum oscula , aut rigiditate , corrugationeve , aut stagnante excremento occludantur , alioquin brevi totus rueret homo.

Si vero pori dentur transpiratori , dantur quoque & absorbentes ; Mercurius



cutim penetrat, scabies tactu lympham inficit; si in cubili cum oleo therebenthinæ noviter picto decumbas, urinæ violam redolent; ventriculo jejuno brachium in aquâ per semihoram deponas, vas sit accurate clausum, ne auræ avolatæ detur suspicio, quantitatem illius multum imminui pro certo habebis; *Mirabilis casus narratur à petro Servio, summi Pontificis Urbani octavi Archiatro, de sacra virgine, quæ jejunio, vigilia, meditatione, corpus omnino exhausserat ita, ut cum maximâ totius siccitate urens adesset calor. Illa per aliquot septimanas, singulis viginti quatuor horis ducentas & ultra libras per vesicam excrevit.* (f) *Fatetur Digby quod vix fidem adhibere potuisset, nisi tantus in arte vir illud portentum memoriæ mandasset, & veritatem facti ab ipsâ ægrâ & plurimis Medicis Romanis, confirmari audivisset.* Qualis absorptio! cubant una Davidis & junioris Sunamitæ exemplo effectus senex & junior florente atate gaudens, hujus detrimento, ille vegetat, vires recuperat.

(f) *Wanswieten, Tom. 4, p. 218.*

Corpus humanum igitur ea gaudet vi, quæ expellat, & quæ absorbeat; dos est naturæ omnibus corporibus indita, munus est omni admiratione dignum. Hoc modo fugantur inquilina, admittuntur proficua, ô utinam pestifera non admitterentur!

Quod Balneum spectat aqua est. Quid aqua utilius? Quid benignius? Quid præstantius? ἀριστόν μὲν ὕδωρ (g) partes aquæ, glabræ, tenues, subtiles, fluxiles, teretes, motu perpetuo agitata, quietis plane expertes inveniuntur. Aqua quocumque volueris foramine minor, omnia subit, omnia tentat: Salium compagem solvit, vim eorum obtundit; hinc menstruum universale huc usque audit: nonne salitas piscium carnes, aliquot dierum intinctu, eorum compagem penetrando, insipidas reddit? Nonne diutinâ in aquis detentione vel ipsa cornua unguesque remolescent, ac quoquoeversum se flecti patiuntur? Quasi viverra omnia rimatur, quasi adamas omnibus jungitur; aer ipse in quo movemur, in quo vivimus, in quo fumus, sociam aquam secum habet, secum vehit. Sursùm, deorsùm, antrorsùm, extrorsùm, aquam videre est, aquam sentire est. Ab aquâ ducitur vitæ dulcedo; sitim sedat, calorem urentem compescit, aspera demulcet corpora, nobis est in alimentum; domitos hostes jactitet Heros, Cræsus opes, Venus delicias; Meum erit tropoeum aqua, meæ divitiæ, meum solatium. O præstantissima aqua rerum moderatori injurias inferrem, si tuas non efferrem laudes.

(g) *Pindare excellentissimus quidem aqua.*

Duplici modo utimur aquâ vel haustu, vel fomento. Quisque modus suas habet virtutes; aqua à fomento vim directam exterioribus corporis fibris & lymphæ impertitur. Balneum ergo magni momenti est, quas dotes non habet? Audiamus Medicinæ vatem, (h) *Balneum quod compactum est dissolvit & discutit, dolorem lenit, sputumque maturum facit ac educit, facilem reddit spirationem, lassitudinem eximit, dum articulos & cutis superficiem exolvit & urinam ciet & capitis gravitatem solvit & nares humectat.* Omnium ætatum experimenta hanc sententiam confirmant. Quid pluribus indiget ut clarior celebretur Balnei utilitas?

(h) *Hypp. de Balneis.*

Cum aqua tam potens sit menstruum, ea omnia secum vehit principia, quibus referuntur varii per quos transit tramites; hinc scrutanda est aquarum varia indoles: sit pura quantum fieri potest Balnearis aqua, sit dulcis, tenuis, limpida, profluens & aperta: non limosa, non stativa, non palustris, non putrida.

Variis vel caloris, vel frigiditatis gradus attentione vel exquisitissima dignus est. Thermometro duce hæc novimus phœnomena (i) Balneum intra 27 ad 28 caloris gradum, sanguinis temperaturæ æquale est, nullam debilitatem inducit quin immo vires exfufcitare videtur. Ultra 28 gradum pulsus exfurgere incipit, transpiratio adaugetur, Ad 31 Febris excitatur. Ad 32 vertigine laborat

(i) *Gazette d'Épidaure, 1764, p. 104.*

caput. Si gradus caloris adaugeantur : convulsiones sequuntur, paralyticum quandoque redditur corpus difficillime sanandum.

Balneum frigidum corporis fibras tendit, debilibus fortitudinem conciliat, quo frigidius, erit eo vegetior corpori conciliabitur fortitudo, partes quas attingit refrigerat, internas autem ex accidenti calefacit. (l)

(l) Sennertus.

A Balneo sequitur sudor, unde veteribus mos erat corpora post Balneum ungere. Hinc Galenus ait. *Ungendum oleo post lavacrum est, ne videlicet quod intumuit corpus plus justo digeratur sed obstruantur exigua cutis spiracula.* Verum quibus cruditas erat, & qui corpus plenum habebant quod *πληθωρικόν* vocant, hos neque in Balneo neque à Balneo inungi concedebant.

His ad amissim consideratis, regat medicum prudentia, illudque eligat in puerperâ curandâ, quod illius temperaturæ sit æquale : vitetur frigidum, Fibras tendit, vitetur calidius convulsiones hic magnoperè metuendas procreat & accersit.

## V

**A** CORI lymphæ puerperarum demulcendo, nervis leniendis, suppressioni evacuandæ, inflammationi tollendæ, veneno Miliari maturando nihil Balneis aptius, nihil opportunius. Quid Balneum in puerperâ times? Si totum ejus tenditur corpus, si totum præbetur aridum, si Mæandri occluduntur, si crassiori replentur humore, Balneum rigorem alluendo flectet, viscositatem solvendo recludet. Quid Balneum in Lochiorum suppressione, in abdominis inflammatione, in universo nervorum erethismo, reformidas? „ Cum dolor deti-  
 „ nuerit, *inquit hypp.*, in aquâ calidâ desideat. „ *εν ύδατι θερμῷ καθήσθω (m)*, „ si  
 „ ex partu inflammationem susceperint solani succum per pudenda immittito &c.  
 „ calide autem lavet & à Balneo bibat, „ *θερμῷ δε λουεσθῶ, καὶ ἀπὸ λουτρῶ πινετῶ*  
 (n) „ intermissione autem temporis, quanta satis esse ei videbitur facta etiam  
 „ colluito *κατὰ κλύσας.* (o) „ Balneum partes spasmodicè tensas laxabit, lenibit  
 dolores, exterioribus laxatis partibus, interius crispatæ minus comprimuntur, adapertis cutis spiraculis ad interiora sibi parabit iter, per pororum myriadem irrumpens in venas ingredietur, ex his ad arterias deferetur, ultimorum usque nervorum propagines subiturum; sanguini & lymphæ, quibus se commiscet, fluorem impertietur, ipsorum acorem emendabit. *Balneum inquit fernelius, humores fuliginosos non modo dissipat è summis, verum etiam ex intimis corporis regionibus tenues & fluxos foras evocat, crassiores vero quos non discutserit colliquat.* An relaxatione solidorum, An commixtione suâ cum lymphâ & sanguine, An soluto lenitque humore acri inflammationem tolli negaveris, lochia cieri non dixeris? reclamat altâ voce prudentia, seda erethismum, remitte membranarum tensionem, leni lymphæ in uteri diverticulis hærentis acorem, crassos humores colliqua, Balneum est in manu, eæ sunt illius virtutes; sic relaxatis omnibus ostiolis, sic liberis lenitisque humoribus fluent lochiorum fontes uberrimi, sic sibi restituetur uterus ad meliores fortunas.

(m) Hypp. de Naturâ mulieb. Sect. V.

(n) De Morbis mulier Sect. V.

(o) Idem.

Quid tandem Balneum in veneno miliari maturando rejicis? totum genus nervosum irritat, in imis hæret nervorum hiatibus, nullum doloris lenimen quatenus cutim non subierit integrum; si cute contemptâ alio irruat, brevi videtur turbatus ægrotationis ordo, brevi conspicitur muliercula ferociter minax nullis cedens precibus, Quot & quam diras strages ciere videmus Miliaris cepitationem, refluxumque? quot funesta *necrosæos* præfagia? Furentem intus hostem extra pelle. *Quo natura vergit eò ducendum*: emolliantur ergo cutanea oscula, dematur resistantia. Adsit Balneum nervorum spasmos ablaturum, nervos liberaturum, cutis tensionem laxaturum. Adsit Balneum miliare venenum ad epidermidem evocaturum; membranarum relaxationi favendo illud virus quasi connubio junctum stabili proprium sibi dicabit. Adsit Balneum virus Miliare

cum secretionibus adauctis laturum ; Lochia ciendo partem illius redundantem cum illis eliminabit. Nec te terreat fudorum impetus. Si pulsu irritabili calcitrante appareat, non criticè laboranti, sed irritatæ, sed devianti naturæ debetur. Nec te moveat frigoris timor à Balneo : exemptam ex aqua tepentibus linteis involve, vel ardua vincit ingenium prudens, vel implicata solvit mens expedita : ipse Balnei effectus omnem timorem elicit ; exemptas ex aqua respice, illarum corpus sudore madet ; ablata sunt obstacula, partes spasmodice tensæ laxatæ sunt ; quin immo illius aquæ pondere, quo in Balneo premitur ægra, sublato ; humores magis ac magis ad peripheriam detruduntur ; magis ac magis liberantur interius compressæ partes : Vos testor clinicè fidissimos cultores, arguite me mendacii, quid video ? Anfas manus mihi præbetis. Quid audio ? exclamatis voce forti : Balneum veneni Miliaris obtundit aculeos, pustularum maturationem fovet, suppressionis, inflammationis que tollit causas, nervos lenit, delirium eliminat. Neque hæc habeas somniantis animi ludibria, sum mei compos. Balneum si rejicis, rejice rationum mearum pondera, cedo lubenter, at vero redde te experientiæ (q) utere mente tua, age Medici partem, serva generis humani solatium, redde uxorem viro, matrem liberis.

(q) Sauvages, class. morb. Mémoires d'Edimbourg. Pomme, Traité des vapeurs, &c.

*Ergò Febri puerperarum Miliari cum Lochiorum suppressione & abdominis inflammatione Balnea.*

### ASSERTIONES.

Convivia sanitati conferunt.  
Ad sanitatem mores.  
Nullum est remedium universale.  
Sudor symptomaticus despiciendus.

### PROBLEMATICA.

An pluribus Morbis musice ?

Angracilibus Pomaceum vino salubrius ?  
An Tabacum lentum sit homini venenum ?  
An Lintea in variolis mutanda ?

### PARADOXA.

Supresso & immoderato Catameniorum fluxu aperiencia.  
Sal Culinare est condimentum septicum & antisepticum.  
Salia Alkalia à putredine orta putredini resistunt.  
Ova eccoprotica sunt & astringentia.

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. PETRUS DE BOISDUVAL, Consiliarius Regis Medicus, à Scientiarum, Litterarum, Artiumque Academiâ Rothomagensi, & Nosocomii S. Magdalene Medicus ordinarius.

M. GUILL. FRANC. TYPHAIGNE DE LA ROCHE, Collegii antiquior, à Scientiarum, Litterarum Artiumque Academiâ Rothomagensi.

M. NICOLAUS-GERVASIUS DESLONCHAMPS, Facultatis Medicæ Mospeliensis Doctor Medicus, Cathedræ Regiæ olim vacantis in celeberrimâ Facultate Medicâ Cadomensi Candidatus, & invalidorum generalis Nosocomii Medicus ordinarius.

M. BERTRANDUS PINARD, Nanceianorum Me-

dicorum Collegii socius honorarius, Nosocomii S. Magdalene Medicus ordinarius, à Regiâ Scientiarum, Litterarum & Artium Academiâ Rothomagensi, necnon in ejusdem horto Regius Botanicè Professor atque Demonstrator.

M. NATALIS-ANTONIUS FLEURI, Doctor Medicus & Professor Honorarius in Facultate Medicâ Cadomensi.

M. LUDOVICUS BARDET, Facultatis Medicæ Mospeliensis Doctor Medicus.

M. JOANNES DECHAUFFOUR DE BOISDUVAL junior, Doctor Medicus, & Nosocomii S. Magdalene Medicus ordinarius.

Propugnabit M. LUDOVICUS-JACOBUS-FRANCISCUS MICHEL, Sanvalericæus in Caletò, Saluberrimæ Facultatis Medicæ Parisiensis Alumnus, Doctor Medicus Cadomensis, Theosop Auctor.

Diebus 2<sup>a</sup>. & 4<sup>a</sup>. mensis Aprilis anni 1767 à 2<sup>a</sup>. ad Vesperam.

## IN AULA CARMELITARUM.

Rothomagi, ex Typis PETRI SEYER, DD, Arch. Rothom. Typographi.

9601



